



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ephemeris Ecclesiastica Concionatorvm Hoc Est Considerationes Methodicæ Sev Veritates Practicæ

Ex Vita Domini Jesu, Sanctorumque Gestis In Singulos anni dies mira
facilitate & solertia distributæ ... ; Cum indicibus necessariis

Pars Verna - A Dominica Septuagesimæ, ad Dominicam SS. Trinitatis

Haineuve, Julien

Coloniæ Agrippinæ, 1665

Dominica I. Qvadragesimæ. De solitudine, jejunio & tentationibus Domini.
De his seorsim, nec non de triplici tentatione, quâ impetitus fuit Christus à
dæmone, multa convenienter producuntur. 171. In ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-44214

DOMINICA I. QVADRAGESIMÆ.

DE SOLITVDINE, IEIVNIO
ET TENTATIONIBUS DOMINI.

*Tunc Iesus ductus est in desertum à spiritu, ut tenta-
retur à Diabolo. Et cum ieiunasset Quadraginta
diebus, & Quadraginta noctibus, postea esuriit.
Et accedens Tentator dixit ei, si Filius Dei es, dic
ut lapides isti panes fiant. Matth. 4.*

TRIA hinc nobis exhibentur de Christo
Domino. *Solitudo, Ieiunium, & Tentatio.*

DE PRIMO, sive de Solitudine, quantum
ad praxim, hæ tres aliunde possunt produci
Veritates.

Nemo securè apparet, nisi qui libenter later.
Nemo securè loquitur, nisi qui libenter ta-
cet.

In 1. parte, Die 14. Ianuarij.

Nulli magis necessariò secedendum, quam
qui minus necessarium sibi putat seces-
sum.

*In hac 2. parte, Feria 2. infra Octavam
Ascensionis.*

Sic internis externa sunt temperanda, ut neu-
trum eorum importunè, & utrumque op-
portunè sibi cedat.

Ibidem, Feria sequenti tertia.

DE SECUNDO, quod est Quadragesimale
Ieiunium, jam supra factis dictum est, Feria 4.

Cinerum. Quia tamen, ecce nunc Tempus
acceptabile, ecce nunc dies salutis, in quibus ex-
hibeamus nos, sicut Dei ministros, in multa pati-
entia, in tribulationibus, in necessitatibus, & a-
liis quicunque piis operibus, ac virtutibus
exercendis, quæ ab Apostolo recensentur, &
quæ *fixem* servati à Domino Ieiunij no-

bis commendantur; ad hanc singularem per
hos dies bonorum operum observantiam,
magis ac magis commendandam, possent hæ
tres etiam conferre Veritates.

Quò minus potes reddere quæcunque debes,
eò magis debes reddere quæcunque potes.
In 3. parte, Feria 2. prima hebdomada.

Non tam spectandum est, quid Deo dones,
quàm quid non dones.

In eadem parte, Feria 6. hebdomada octava.

Ne dicas, sufficiens mihi sum.

*In 1. parte, Feria 4. hebdomada tertia post
Epiphaniam, ubi de Necessitate Directoris agitur,
ad intelligenda bona opera, quæ cui vis sunt fa-
cienda.*

DE TERTIO, sive de Tentationibus, quod
est præcipuum Caput: si univèrsim confide-
rentur, hæ tres opportunè videntur Veritates.

Nemo periculose magis tentatur, quam qui
se non putat tentatum.

In 1. parte, Die 15. Ianuarij.

Quod monet Sapiens: Eris eruditus in om-
nibus, aut eris contra Dæmonem, rudis in
omnibus.

*In 4. parte, Feria 4. hebdomada decima quin-
ta.*

Nisi

Nisi diligenter advertas, tunc minus observas Custodem Angelum, cum magis esset observandus.

In eadem parte. Die prima Octobris.

SI VERÒ particularim unaquæque Tentatio perpendatur, tam possent facile singulis adhiberi Veritates, quam possent commodè passim educi contra triplicem Concupiscentiam, ad quem refertur quævis earum Tentationum, quas Christus Dominus sustinere voluit, ut nobis esset exemplo sic pugnandi & vincendi. Sic enim nos Tentator aggreditur per tres illas Concupiscentias, sed cum hac differentia, quod ut notat sanctus Gregorius tota Diabolica Tentatio foris, non intus in anima, nec in carne Christi fuerit, sicut in nobis accidit.

Prima itaque Tentatio circa gulam versatur, quæ spectat carnis delectationem, *Dic ut lapides isti panes fiant.* Contra quam hæc inter alias habetur Veritas Practica.

Sibi non Domino vivit, qui temperatè non vivit.

In 1. parte, Dominica quarta Adventus.

Secunda Tentatio spectat ad Veritatem & superbiam: *Mitte te docysum,* Nempe ut admirationem sui excitet, & inde gloriatur. Contrà verò quam plurimæ sese passim obijciunt Veritates, quales sunt istæ:

Nulla re homo quantum vis gloriosa gloriari potest.

Nulla res est in humanis verè gloriosa.

In 1. parte, Feria 2. & 3. secunda hebdomada Adventus.

Quæ sunt Ambitioso detrimenta, hæc sunt humili lucra.

Vel sic aptius.

Quæ sunt ambitioso lucra, hæc sunt humili detrimenta.

In 2. parte, Feria quarta hebdomada secunda post Pascha.

Claritas, quæ ab hominibus accipitur, meta est obscuritas.

In 3. parte, Feria sexta hebdomada duodecima.

Tertia Tentatio pecuniam, seu commoditates temporales suggerit, de quibus continentis decem proponuntur Veritates in una quarta parte, & una Feria, quæ est quinta hebdomadæ decimæ octavæ. Hæc aliunde deducta modò sufficiat:

Omnis copia, quæ Deus non est, egestas censenda est.

In 1. parte, Feria 5. hebdomada 4. in Adventu.

PRÆTER istas autem, quæ suis magis propriè declarantur locis, & quæ particularem attingunt materiam, hæc videtur contra Tentationes maximè generalis, & singulariter tamen opportuna.

VERITAS PRACTICA.

Si Tentatorem permiseris ingredi, non se permittet egredi.
Facilius excluditur, quàm eiicitur.

RATIO EST, quia cum Tentator vires in nos ampliores acquisivit, non sic se sinit vinci & egredi, sicut si tantas vires non haberet.

Sed cum permixtus est ingredi, maiores in nos acquirit vires, quàm si non esset permixtus.

Ergo si permiseris ingredi, non se sinit, non se permittet egredi. Tunc non ita facile deiicitur, quàm potuisses arcere ingredientem aut tentantem. Quapropter Principiis est obstandum.

I. P U N C T U M.

OBSERVANDUM imprimis, quod hinc ait sanctus Gregorius, & passim Omnes, tribus agi modis Tentationem: Suggestione, delectatione, & consensu, Quæ tria mihi quidem aptissimè sic Kempensis explanavit: *Primò occurrit menti simplex cogitatio, deinde fortis imaginatio: Postea Imit. Chr. delectatio, & motus pravus & assensus: sicque c. 13. paulatim ingreditur hostis malignus ex toto, dum illi non resistitur in principio: & quanto diutius ad resistendum quis torpuerit, tanto in se quotidie debilior fit, & hostis contra eum potentior.*

Jamne

Iamne his vides expressis verbis, quam aperte non tantum proposita liquet Veritas, sed & subiecta ratio, cur si Tentatorem permiseris per suggestionem & delectationem in animum tuum ingredi, non se permittet egredi quin Consensum eliciat; quia videlicet cū Tentator in nos vires ampliores acquisivit, non sic permittit se vinci, sicut si tantas non haberet. Nam cū in nos atroci superbiā & malitiā saeviat: superbia tanto magis cum facit audacem, quod est potentior: malitia verò sic illum semper indurat, ut quantum omnino potest, tantum noceat. Sicut videre est in libro Iob. Neque enim cicuratur, nec placatur, nec miseretur, nec fatigatur, nec dormitat, nec de potestate quidquam remittit. *Va, va, va habitantibus in terra. Væ terra & mari, quia descendit Diabolus ad vos habens iram magnam, sciens quod modicum tempus habet.*

Iob 40.
& 41.

Apoc. 8.
& 12.

fius, ne abloibeatur profundo: ac denique quod est perniciosissimum, ne ita involuatur & includatur puteo seu Abyllo, ut nullus sit emergendi exitus. Sic paulatim procedit tentatio & tentator roboratur: Unde egregie sanctus Hieronymus sub alia similitudine, *Diabolus, inquit, serpens lubricus est, cuius si capiti, hoc est prima suggestioni non resistitur, totus in intima cordis dum non sentitur, illabitur. Tentationum diabolicarum initia, flagitia sunt. Itane sentis? itane expareleis?*

III. PUNCTUM.

SI ergo Tentatorem permiseris ingredi, non se finet, non se permittet egredi; Quia per ingressum vires ampliores obtinet, quibus consiliis, fit audacior, & obstinatio: Et propterea, inquit sanctus Gregorius, recte Myrmiceleon, id est, leo & formica dicitur; formicus enim leo est; volatilibus formica; quia nimirum antiquus hostis sicut contra consentientes fortis est, ita contra resistentes debilis. Si enim eius suggestionibus assensus prabetur, quasi leo tolerari nequaquam potest: si autem resistitur, quasi formica atteritur.

Nonne hoc est potens motivum resistendi? Videlicet, quantum sit discrimen inter formicam & leonem; ac proinde quale periculum & quale sit damnum, si quem ut formicam facile superandum habuisses, eum habeas ut invictum leonem? Si de solo naturali affectu coercendo ageretur, sic statim ut sentitur, esset continendus; Quia, ut ipse vidit & scripsit Seneca, non obtinebis ut desinat, si incipere permiseris. Imbecillus est primò omnis affectus, deinde ipse se concitat, & vires, dum procedit, parat Excluditur facilius, quam expellitur; Ergo intrantibus resistamus. Quanto verò id magis observandum, cū se affectui Tentator jungit, & cū ad hunc quantocyus oppugnandum sacris oraculis admonemur. En ut loquuntur: Nolite locum dare diabolo. RESISTITE diabolo & fugiet à vobis, appropinquate Deo, & appropinquabit vobis. DEVS pacis conterat Satanam sub pedibus vestris velociter. Nota illud velociter, ne si detur illi mora, te ipse conterat. Torum certaminis pondus in illa est velocitate. Aut te oportet habere Satanam contritum sub pedibus tuis, aut ille tibi te conteret: Uter altero fuerit velocior, sic erit superior. Vigilare & orare, ut non intretis in tentationem.

II. PUNCTUM.

SED cū permittitur ingredi, majores in nos acquiris vires.

Sic enim primò fit naturaliter, ut inflammata per suggestionem concupiscentia semper crescat velut ignis, qui nunquam dicit, sufficit. Deinde verò supernaturaliter sic permittente Deo in pœnam facilitatis seu ignavia, quâ permittitur à nobis Tentator ingredi.

Prov. 30.

Deut. 28.

Thren. 1.
& 3.

Psal. 68.

Servies, inquit, inimico tuo, quem immittet tibi Dominus, & ponet jugum ferreum super cervicem tuâ, donec te conterat. Et certè quis nesciat ingresses in urbem vel domum hostes longè magis posse in perniciem civium, quam dum extra muros essent. Hinc illæ lachrymæ & lamentationes: Vide Domine afflictionem meam, quoniam erectus est inimicus: manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia eius. VENATIONE caperunt me quasi avem inimici mei gratis. Lapsa est in lacum vita mea, & pesuerunt lapidem super me. Inundaverunt aqua super caput meum, dixi, perii.

Aptissimum illud est etiam, quod ait David, *Erripe me de luto, ut non insigat; libera me ab iis, qui oderunt me, & de profundis aquarum. Non me demergat tempestas aqua: neque absorbeat me profundum, neque urgeat super me puteus os suum. Vide enim, ut gradatim majores tentationis vires & damna exprimat. Primò petit, ne tempestate demergatur, quod est certè perniciosum; sed denique quod pernicio-*

rationem, Si praefens Apostolis hoc Christus dixit, quanto magis tibi: Vide Dominicam tertiam in Quadragesima.


Si quis forte inchoatos de Passione Christi Domini discursus nolit interrompere, hanc nobilem, & caelo delapsam Veritatem sibi proponat contra tentationes.

In hoc Signo Vincas.

Ratio est, quia tentatio cognita facillime cum gratia superatur.

Sed ex representata sibi Cruce & Christo Domino patiente, facillime cognosci potest tentatio, indeque gratia derivatur.

Ergo & sic tentatio superatur, quod est in signo



HAC HEBDOMADE, de internis doloribus, quos Christus Dominus in Passione sustinuit, atque in horro leu monte olivarum vehementius Ipse in animo suo concitavit.

FERIA SECUNDA. DE TRISTITIA DOMINI IESU.

Tristis est anima mea usque ad mortem. Marth. 26.

VERITAS PRACTICA.

Qui cum Christo dolente non dolet, nec cum Ipso gaudente gaudet.

RATIO EST, Quia non dolere cum Christo, est non habere eundem sensum circa res divinas & humanas, quem habet Christus.

Sed qui non habet hunc eundem sensum cum Christo, non potest cum ipso gaudere.

Ergo is, qui non dolet cum Christo, nec gaudebit cum eo. Et miraris unde tam modica consolationes divina!

I. PUNCTUM.

FINITA oratione, quam Christus Dominus in conaculo ad Patrem habuit: *Luc. 22.* Egressus ibat secundum consuetudinem in montem olivarum, secuti sunt autem illum & discipuli, usque ad villam, quae dicitur Gethsemani, quibus tum dixit, sedere hic, donec vadam illuc & erem. Et assumpto Petro & duobus *Matth. 26.* Haynesove Pars 2.

& vexillo crucis vincere; ac proinde comparanda facilitas representandi sibi Crucifixi.

Huius figura praecessit in serpente anco, quem qui percussi a serpentibus aspicerent, *Num. 21.* sanabantur. Sic Moses longe ante Christum, *Ioan. 3.* eius tamen aspectu sibi proposito, dicitur maluisse affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere incumbrantiam. Sic passim Apo- *Hebr. 11.* stoli: Christo in carne passio, & vos eadem co- *1. Pet. 4.* gitatione armamini. *ASPICIENTES in autho- Hebr. 12.* rem Fidei, & Consummatorem Iesum. Sic & *1. 1. c. 25.* luculentè liber de Imitatione Christi, locis *l. 2. c. 1.* hic notatis.

Filiis Zebedaei, capit contrariari, & mastus esse; Tunc aut illis, tristis est anima mea usque ad mortem, sustinete hic & vigilate mecum.

Sic Evangelista omnes, unde apparet, primum Christi dolorem internum fuisse tristitiam, quam permittit appetitui suo concitare, ex representatione malorum omnium, quae tunc adduxit in mentem suam sive praeterita essent, sive praesentia, sive futura. Cogitabat immensam illam multitudinem hominum, qui a mundo condito perierant, & peccati sui poenas luebant. Verfabat animo horribilem illam peccatorum mollem & massam, quae omnes homines ita infecerat, ut vix unus aut certe pauci in via salutis essent. Proponebat sibi statum praesentem mundi, in quo soli Iudaei Deum agnoscebant, ex Iudaeis autem pene omnes excacati, jam-jamque in suam universi mortem conspiraturi, Cernebat Proditorem discipulum; perjurum alium, fugaces reliquos, se solum velut agnum in medio luporum deferendum, discerpendum, dilaniandum. O qui tum dolores animi! At saltem qui post passionem futuri erant homines, si

M salva-

salvarentur, si prodesset omnibus Sanguinis ille fundendus! Sed illud erat vel maximè, quo dolor augebatur, quòd in sequentes annos tot etiam peccata committerentur, totque perirent homines, perinde ac si non esset passus, imò eò magis peccarent & punirentur, quòd esset passus, arque adeo ipse inter omnes electus & dilectus populus in sua esset pravitate periturus. *Et peribunt reliquia Iuda!*

Isa. 40.

Hæc ita simul conglobata sic animum eius contristabant, ut præ doloris vehementia vivere non potuisset, nisi virtute divinâ vitam sustineret. Omni Iesu, nūquid ex his unus eras, quos cernebas in peccato, & quorum aspectu angebaris? Etiam fili, te ipsum in mente habebam, & quod de te mihi magis dolebat, insensibilitas est illa tua, quâ tam parum moveris ad perfectam emendationem. Ad hoc anime quid respondes? Disce hodie saltem tritari & dolere, ut discas simul, quando & quomodo gaudeas. In his enim duobus affectibus, vel maximè peccas, & unus ita pendet ab alio, ut nisi cum Christo doleas seu tristeris, non possis cum ipso gaudente gaudere, nec proinde ullo unquam vero & legitimo gaudio gaudere.

Ratio est universalis & valde expendenda, quia videlicet nisi tristeris cum Christo, non habes eundem sensum circa res divinas & humanas, quem ille habet. Nam cum omnis tristitia sit ex malo sibi representato, tam diversa erit tristitia, quàm diversus mali sensus, seu quàm diversa opinio circa res illas, quæ contristant; unde fit ut tristitia sæculi sit tantum de malo huius vitæ, de pœnis, de paupertate, de contemptu, de invidia, & similibus, quia sæculares hæc tantum æstimant malâ. At verò tristitia secundum Deum, de peccatis est, de Deo offensa, de suo proximique damno spirituali; sicque apparet ex diverso rerum sensu, sive æstimatione & affectu, diversam esse tristitiam: ac proinde hæc duo se simul consequuntur, seseque mutuo probant, ut qui diversum habet à Christo sensum, diversam ab eo etiam habeat tristitiam, vel qui non tristatur cum eo, si de re ipsa, quâ tristatur, diversum ostendat se habere sensum. O quàm præclare Apostolus; *hoc sentite in vobis, quod est in Christo Iesu!* Videbar quippe acutius, ex illo sensu, affectus omnes nostros dependere. Itaque sentis, cum illo?

2. Cor. 7.

Phil. 2.

II. PUNCTUM.

SED qui eundem cum Christo sensum & affectum non habet, non potest gaudere cum illo.

Nam sicut tristitia, ita & gaudium prorsus diversum est pro diversitate sensus, sive æstimationis & affectus, quem habemus de bono, quod est objectum gaudij; unde qui vanè & malè gaudent, idcirco ita gaudent, quia quævana sunt & mundana bona nimium æstimant & sapiunt, ac proinde eorum possessione lætantur, cum tamen alij, qui non idem sentiunt, non ita gaudeant, etiam si eadem bona possideant. Hinc Propheta, *Confusum est gaudium à filiis hominum*: Id est, sicut varii sunt sensus hominum, ita & varium ac diversum eorum gaudium, quod est cum sensu conjunctum & confusum.

Quisquis propterea non idem sentiat de rebus, quod ipse Christus, certè non eodem etiam gaudio gaudebit quo ille; quia ut dictum est, ex diversitate sensus, diversum est gaudium, ac proinde quamdiu diversa senties, sic diversè gaudebis; & quàm verum erit & solidum Christi gaudium, tam fallum & evanidum hoc tuum erit, quod est illi oppositum.

O miserandum hominem, qui nunquam est miserior quàm cum magis gaudet! Nam quo magis gaudes falso tuo gaudio, eo magis diversus es à Christo Iesu; & non est major miseria, quàm sic diversum esse à Christo!

III. PUNCTUM.

SIC ergo qui cum Christo dolente non dolet, nec cum ipso gaudente gaudere poterit: Non modo quia non meretur consolationes illas, quæ non dantur nisi secundum multitudinem dolorum, ut ait Propheta & Apostolus, sed quia non eundem cum ipso habet sensum. Si enim idem sentires cum Christo, quidquid illum affligit, te simul contristaret; unde è converso si non te idem contristat, non eundem cum ipso habes sensum, ac proinde nec simul cum ipso gaudere potes. *Non gaudebit inimicus meus super me*; quia scilicet oppositum meo sensum habet.

Ps. 93.

2. Cor. 11.

Ps. 40.

Quod quia valde odiosum est & expavescendum, corrigendus est sensus tuus, si ve iudicium illud quod formas de bono & malo, undè procedunt affectus tristitiæ & gaudij; atque

17.

Donn. 16.

atque à Christo Domino descendum, quid vere malum sit & deplorandum. Ipse est enim Emmanuel, qui probè scit rep. obare malum & eligere bonum. Jam audivisti, quid cum contristaret, nempe Dei offensa & hominum perditio; hoc ergo disce verum esse malum, hoc disce deplorare cum Christo, ut cum ipso etiam gaudeas de Divinis Perfectionibus, de Dei notitia prædicata, de hominum salute & perfectione, cæterisque similibus veris bonis.

Mundus gaudet, vos vero contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium.

Quod si Passionis & mortis jam jam instantis Cogitatio non nihil etiam Christum contristavit; at certe vide, quomodo se in illa sua tristitia gerit. Disce tristitiam, quæ ex corporis aut animi malis percipitur, non tam malum esse, quam qui concitantur inde motus inordinati. Nullos vero tales in Christo percipies; Nihil illo quietius etiam in medicis illis tristitiæ fluctibus, nihil inordinatus, nihil suavius, & religiosus.

En ut suppliciter adit ad Patrem, ut illum pro-nus orat, ut opportunè redit ad discipulos somnolentos, ut eos quietè excitat, ut blandè monet, ut omnia denique tranquillè peragat!

Sic est tristitia in virtutem convertenda, sic toleranda benignè, sicut & ipsa mala, quæ illam excitant, quandoquidem ipsa est natura nostræ malum tam patienter ferendum quam quodvis aliud malum, quando aliter cu. au. non potest. Sic aptè Sapiens. *Ne festines in tempore obductionis, sustine sustentationes Dei, conjungere Deo & justine. Omne, quod tibi applicitum fuerit, accipe, & in dolore sustine, & in humilitate tua patientiam habe.* Iunge cor tuum cordi Christi, ut quod ille amat, tu ames: quod odit & deplorat, tu ipse oderis & deplores! Denique sicut dicebar Rex Jchu ad Junadab: *Nunquid est cor tuum rectum, sicut cor meum cum corde tuo?* Sic tecum Christus: Tu quid illi?

Ecclesi. 2.

4. Reg. 10

PRO EADEM FERIA QVADRAGESIMALI.

Ad Evangelium, de extremo Iudicio, ac de operibus misericordia. Matth. 25.

VERITATES PRACTICÆ.

Qui nimis humana timet judicia, non satis reveretur Divina.

In 1. parte, Feria 4. hebdomada sexta post Epiphaniam.

Nunquam melius sibi providet fidelis Dei servus, quam cum nihil sibi retinens; totum se Domino, suaquæ omnia consecrat.

In eadem 1. parte, In Festo sancti Nicolai.

Siquid Charitas negat, tam benigna negando est, quam concedendo.

In hac 2. parte, Feria 3. hebdomada prima post Pascha.

Beati miseri cordes.

In 3. parte, Feria 6. hebdomada septima.

Videnda septima Dominica, de defectu bonorum operum, quam sit unicuique timendus.

Qui se interrogat ante iudicium, interrogatus in iudicio securus respondebit.

In eadem 3. parte, Dominica octava.

Affectum probat effectus.

In eadem 3. parte, Feria 2. hebdomada nona.

Si vis curari, cura.

In eadem 3. parte, Dominica 12.

Nemo sui boni vel mali bonus Iudex.

In ead. 3. p. Feria 3. hebdomada 14.

Deniq; de extremo Iudicio distinctius, videnda Dominica ultima quartæ partis, ac Sabbatum sequens; necnon Dominica prima Adventus.



FERIA TERTIA.

DE TIMORE, ANXIETATE, ET Agonia Domini IESU.

Et cepit pavere, & tedere. Et factus in agonia prolixius orabat. Marci 14. Luc. 22.

VERITAS PRACTICA.

Ab imitando Christo, excusantis humanam infirmitatem, infirma est & nulla excusatio.

RATIO EST, quia nulla est excusatio, si Christus assumpsit humanam infirmitatem. Sed humanam Christus assumpsit infirmitatem. Ergo à Christo imitando, excusantis infirmitatem humanam, infirma valde est & nulla excusatio.

I. PUNCTUM.

SICUT à timore anxietas, sic ab anxietate processit agonia: quantum quidem cogitari potest accidisse hoc modo, qui attentè & piè revoluendus.

Permisiit Christus imaginationi suæ sibi repræsentare tormentorum atrocitatem, qua moriendo passurus esset, & concessit appetitui sensitivo inde concipere mortis timorem & horrorem, quam magnus & sensibilis concipi poterat; Cùm verò Voluntas superior liberrimè acceptaret illa tormenta, & consentiret in mortem subeundam, hinc anxietas quædam orta est in ejus animo, *quid nempe potius ageret ex duobus sibi propositis? AN MORTEM ACCEPTARE? AN DIFFERRE? Differre suadebat timor, acceptare amor; Quid faciat?*

Ps. 141.

1. par. 11

2. Reg. 24

Anxietus est super eum spiritus eius, turbatum est in eo cor eius, ut posset dicere, Ex omni parte me angustia premunt; Coarctor nimis.

Sed tempus urget, hora instat, adsunt hostes, concludendum quid fiat; tunc fit agonia, id est, extremum certamen inter timorem & amorem; Uter utri cedat; Et cùm timorem vicerit amor, hinc factum est ut sanguis, qui ex timore circa cor se effuderat, retractus fuerit ab amore, & in omnes corporis partes tantâ vehementiâ dilatatus, ut ipsam carnem per-

transierit, sicq; sanguinis guttæ defluerint; *Et factus est sudor eius sicut gutta sanguinis decurrens in terram.* O amor, eò magis admirandus, quo impugnari voluit à timore, ut se se facilius in exemplum mihi præberet. Nec enim timuisset nisi voluisset, & idcirco voluit, ut timorem meum vinceret vincendo suum. Nam tuo illo timore & pavore, cùm apertè indicaverit humanam assumpsisse infirmitatem, planè abstulit omnem illorum excusationem, qui ab ipso imitando in quotidianis vitæ actibus se retrahunt, suamque propterea allegant imbecillitatem.

Quid enim dicunt, quid excusant? Quid quid sit, hoc nullum planè est, si Christus humanam induerit infirmitatè; non enim aliud dicunt, quam quod Christus Dens esset, nos autem homines; & cùm longissimè distent natura Dei & hominum, hinc concludunt, non id à nobis fieri posse, quod Ipse fecit.

Sed errant & quidem vehementer, nescientes scripturas & virtutem Dei, atque infirmitatem Christi. Nam si nihil obstat Divinitas, quo minus æquè ac quivis hominum infirmus esset Christus, quid tu homo excusas infirmitatem tuam? Adde præterea, quod est valde observandum, si nihil obest humana tua infirmitas, quo minus æquè ac ipse Christus Dominus, potens sis & validus ad id omne præstandum ejus exemplo, quod juberis, quid est, quod te ab eo imitando retrahas, & excuses, quod ille fuerit potens & validus? Ubi enim paria fuerint omnia, nulla est impatitatis excusatio.

II. PUNCTUM.

SED Christus Dominus humanam planè assumpsit infirmitatem.

Id est, irà timuit, ita exhorruit, & id omne sensit humanitus, quod tu naturaliter sentis in malis sensibilibus tolerandis. Sic enim dicitur.

13. citur. *Vt dolorum & sciens infirmitatem: sic ve-*
re languores nostros tulisse, & dolores nostros por-
tasse, Sic debuit per omnia fratribus similari, ut
 Hebr. 2. *misericors fieret. In eo enim, in quo passus est ipse*
 4. *& tentatus, potens est & eis, qui tentantur auxi-*
 4. *liari. NON enim habemus Pontificem, qui non*
possit compati infirmitatibus nostris, tentatum
autem per omnia pro similitudine absque peccato.

Sic Prophetæ, sic Apostoli, sic univert
 passim scriptura, nec aliter eam interpretan-
 tur Patres & Doctores, quam simpliciter di-
 cendo, ita Christum nostrâ infirmitate fuisse
 infirmum, ut nos ejus virtute fortes & validi
 esse possimus. Ego, inquit sanctus Ambrosius,
 nusquam magis pietatem eius majestatemque
 demiror: Minus enim contulerat mihi, nisi meum
 suscepisset affectum. Suscepit tristitiam meam, ut
 mihi suam lætitiâ largiretur; & vestigiis nostris
 descendit usque ad mortis arumnam, ut nos suis
 vestigiis revocaret ad vitam. Sanctus quoque
 Augustinus, Nos in se transtulit, nos in se suscep-
 tit; caput nostrum membrorum suorum suscepit
 affectum, & ideo ab aliquo non est turbatum, sed
 sicut de illo dictum est cum Lazarum suscitavit,
 turbavit semetipsum: oportebat enim ut unus
 Mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus,
 sicut nos excitavit ad summa, ita nobis compate-
 retur ad infima. Sanctus item Gregorius, Fortis
 super omnia, apparuit infirmus inter omnia, ut
 dum nobis ex assumpta infirmitate congrueret,
 ad permanentem nos suam fortitudinem eleva-
 ret. Sanctus denique Leo, Nostra infirmitatis
 affectus participando curabat, & pœnalis expe-
 rientia metum subeundo pellebat. In nobis ergo
 Dominus nostro pavore trepidabat, ut susceptio-
 nem nostrâ infirmitatis indueret, & nostram in-
 constantiam, suæ virtutis soliditate vestires.
 Quid clarins? quid expressius?

III. PUNCTUM.

12. **A** Christo igitur imitando, excusantis huma-
 nam infirmitatē infirma valde est & nulla
 excusatio: cum ipse non minus atque nos in-
 firmus fuerit: nec minus ipsi fortes sumus ad
 toleranda nostra mala, quam ille fuerit ad sus-
 tinenda sua. Elias homo erat similis nobis passi-
 bilis, inquit sanctus Iacobus, quasi diceret, ni-
 hil est, quod vos excusetis ab eo imitando in
 iis, quæ sunt vestri muneris, quasi alius esset à
 vobis. Sic planè de Christo Domino, Christus
 homo erat similis nobis passibilis; nihil con-

fert ad excusationem vestram, quod fuerit
 Deus, cum simul fuerit homo similis nobis.
 Sicut enim quod fuerit Deus, non impedit,
 quin simul fuerit homo; sic neq; obstat quin
 fuerit homo infirmus; ac proinde tantum ab-
 est, ut possis inde te excusare ab eo imitando,
 quod Deus esset & te fortior, quin potius ex
 hoc ipso, quod Deus esset & maxime fortis,
 habes efficacissimum ejus imitandi motivum;
 tum quod ipse Tantus se tantillum fecerit, ut
 te provocaret ad se sequendum, tum quod te,
 tantillum cum sis, talem & tantum fecerit, ut
 possis eum sequi si velis. O quantum debemus
 tuæ fortitudini bone Iesu, sed non minus In-
 firmitati; nam si fortitudo tua nos creavit, In-
 firmitas tua nos recreavit, sic patiendo pro
 nobis, sicque nos ad patientiam tuam exci-
 tando.

Modum autem in adversis proprius imitan-
 di Christi, fusè docet sanctus Augustinus va-
 riis in locis: Primò quidem in illa Domini
 Verba: Nunc anima mea turbata est. Quid est in Ioan.
 hoc, inquit, quomodo sequi jubes animam meam,
 si turbari video animam tuam? Quomodo susce-
 ram, quod grave tanta firmitas sentit? Quale
 fundamentum quarum, si petra succumbit? Sed
 videor audire in cogitatione mea respondentem
 Dominum, & quodammodo dicentem, magis se-
 queris, quia sic me interpono ut sufferas. Audisti
 ad te, vocem fortitudinis meæ, audi in me vocem
 infirmitatis tuæ. Vires suggero ut curras, nec re-
 primo quod acceleras, sed transero in me quod
 trepidas, & sub stereo quæ transeas. Et post pau-
 ca, sic ad praxim aptissimè: Sicut autem hic di-
 xit, Nunc anima mea turbata est; ita etiam ubi
 dicit, Tristis est anima mea usque ad mortem, &
 Pater, si fieri potest, transeat à me calix iste, ostendit
 hominis suscepti infirmitatem, ut doceat sic
 contristatum & conturbatum, quod sequitur di-
 cere, Veruntamen non quod ego volo, sed quod tu
 vis, Pater. Sic enim homo ab humanis in divina
 dirigitur, cum voluntati humana divina prapou-
 nitur. Et in hæc Psalmi trigesimi secundi ver-
 ba: Exultate justi in Domino, rectos decet collau-
 datio. QUI sunt recti qui dirigunt eor secundum
 voluntatem Dei. Et si eos perturbat humana fra-
 gilitas, divina consoletur aqutitas. Quamvis au-
 tem corde mortali privatim aliquid velint, quo
 sua interim causa, vel negotio vel presenti neces-
 sitati conveniat: ubi intellexerint & cognoverint
 aliud Deum velle, prapouunt voluntatem melio-
 ris voluntati suæ, & voluntatem Dei voluntati
 hominis.

hominis. Quantum enim Deus distat ab homine, tantum voluntas Dei à voluntate hominis. Unde gerens hominem Christus, & regulam nobis proponens, docens nos vivere, & prestans nobis vivere, ostendit hominis quandam privatam voluntatem, in qua suam figuravit & nosiram. Pater, inquit, si fieri potest, transeat à me calix iste. Hac humana voluntas erat, proprium aliquid & tanquam privatam volens. Sed quia recto corde voluit esse hominem, ut quidquid in illo aliquantum curvum esset, ad illum dirigeret, qui semper est rectus: Verum non quod ego volo, ait, sed quod tu, Pater. Ecce vide, inquit, te in me, quia potes aliquid proprium velle, ut aliud Deus velit. Conceditur hoc humana fragilitati; conceditur humana infirmitati, aliquid proprium velle, difficile est, ut non tibi contingat: sed statim cogita, qui sit supra te. Illum supra te, te infra illum; illum

Creatorem; te creaturam: illum Dominum, te servum: illum omnipotentem, te infirmum cogita corripere te, subjungenque voluntati ejus, ac dicens: verum non quod ego volo, sed quod tu vis, Pater. Quomodo disjunctus es à Deo, qui jam hoc vis quod Deus?

Itemque alibi: Ut si cui eorum inter humanas tentationes contristari & dolere contingeret, non ideo se ab ejus gratia putaret alienum, & non esse ista peccata, sed humana infirmitatis indicia, tanquam voci premissa concinens chorus, ita corpus ejus ex ipso suo capite addisceret. Quod & brevius repetens sanctus Papa Gregorius: Ut cum hoc, inquit, imminet, quod fieri nolumus, sic per infirmitatem petamus ut non fiat, quatenus pro fortitudinem parati simus, ut voluntas Conditoris nostri contra voluntatem nostram fiat. In Pl. 17. l. 12. Min. c. 8.

PRO EADEM FERIA QVADRAGESIMALI.

Ad Evangelium, de Domini Ingressu in Civitatem, & in templum.

VERITATES PRACTICÆ.

Ad hæc commotæ Civitatis verba de Christo Domino, *Quis est hic?*

Affectu potius quam studio Christus cognoscitur.

In 1. parte, Feria 2. hebdomada tertia in Adventu.

Quidquid de Christo te scire dicant Impii, Christum nescire dicendi sunt.

In 4. parte, Feria 4. hebdomada 19.

Dum è templo vendentes ejicere confide-

ratur Dominus, considerandum venit, quod in 1. parte habetur in Dedicatione Ecclesiæ: *Pavete ad Sanctuarium meum.*

Sic sæpè etiam Dominus res nostras evertit ut se summum ostendat Dominum: Tunc autem QUANTO minus murmuramus, aut quanto magis tacemus, tanto altius altissimum Ejus Dominium prædicamus.

In 1. parte, Feria 2. hebdomada sexta post Epiphaniam.

De hoc porro Ingressu Ierosolymitano, plura in Dominica Palmarum; & Dominica nona post Pentecosten, ac tota hebdomada 26. quartæ partis.

FERIA QVARTA: DE COMPASSIONE CHRISTI Domini erga homines: & de nostra erga ipsum.

Et misericordia sempiterna misertus sum tuis, dixit Redemptor tuus Dominus. II. 54.

VERITAS

VERITAS PRACTICA.

Frustra te Christi miseret, nisi te tui prius miseret.

RATIO EST, Quia frustra te Christi miseret, nisi à te tollas, quod Christum affligit. Sed nisi te tui miseret, non illud tolles.

Ergo te frustra Christi miseret, nisi te tui prius miseret. Id est, nisi te miserum & miserabilem scias.

I. PUNCTUM.

DE hoc interno Christi dolore, prout à tristitia est distinctus, tria hæc perpèdi possunt. Primum est, hunc dolorem fuisse præcipuè de spiritalibus miseris humani generis, quas Christus Dominus sibi repræsentavit cum sensibili compassione, & quibus suâ Passione remedium affere voluit. Secundum est, hanc sensibilem Compassionem fuisse dolorè vehementissimum, supra quam etiam passa fuerit Beatissima Virgo, dum juxta crucem staret, cruci affixo Filio compassionis. Nâ cum hæc duo sint, quæ compassionem excitent, amor cõpatientis, & miseria ejus, cui compatitur: Certè quo hæc duo majora sunt, eo etiam major est compassionis dolor. At qui major erat Christi amor erga nos, quam Beatæ Virginis erga Filium: majorem etiam Ipse Christus Dominus reputabat nostram miseriam, quam suas pœnas, quia scilicet in miseria nostra videbat offensam Dei, & æternam animæ nostræ damnationem, quæ duo mala suis pœnis graviora censebat, cum ut illa mala tolleret, sua libenter toleraret, unde apertè patet quàm gravis esset illa Compassio. *Veritatem dico in Christo, non mentior, testimonium mihi perhibente Conscientia mea in spiritu sancto, quoniam tristitia mihi magna est, & continuus dolor cordi meo. Optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, & quæ plura profert Apostolus ex hoc Compassionis affectu. Qui quantus fuerit, tam longè semper inferior affectu Christi fuit, quam longè Paulus infra Christum.*

Tertium est, quòd licet toto vitæ tempore non destiterit bonus Pastor & Salvator nobis compati, tamen accedente passionis & mortis horâ, hunc maximè concitavit affectum, ut tanto magis voluntariè pateretur, quanto

magis compateretur. O quanta fuit miseratio Christi Domini, si quanta esset humani generis miseria, tanta esset Christi Domini commiseratio! O quantis dignus gemitibus Christi dolor, qui meis ita doloribus ingemere voluit! sed frustra ploras animè te plorantem, nisi te primo deploras. *Frustrate Christi miseret, nisi te tui prius miseret.*

Ratio est evidens, neque hic opus multis verbis, ubi de facto agitur. Quid est enim, quòd te Christi miseret, si dum posses eum solari, tollendo à te, quod ipsum affligit, magis ipsum affligere illud retinendo, quàm cõsolari tollendo? Nõne hoc est propterea, quod queritur, *Es sustinui qui simul contristaretur, & non fuit; & qui consolaretur & non invenit?* Itane nullum inveniat se consolantem? Ita planè nullum, si quicumque simulant eum consolari, magis ipsum affligunt. *Consolatores onerosi. Iob 16. omnes vos estis, dicebat iis Iob, qui se venerant consolaturi, à quibus tamen magis affligebatur. Sic planè tibi Christus Dominus, nisi tollas id à te, quod in te videre non potest sine mœrore, quidquid dicas ad solatium, solatium est onerosum.*

II. PUNCTUM.

SED non illud tolles, quo se Christus affligi queritur, nisi te tui prius miseret.

Nempe cum sit peccatum tuum & illud maximè peccatum tuum, quo magis delectaris, & quo te beatiorem putas, dū magis peccas, quomodo illud tolles nisi mœrem mutes, & nih miseriam reputes, quod beatitudinem credis? quamdiu enim bonum & beatum aliquid dices, illud semper amabis & coles, unde si quid à te tolli oporteat, oportet illud prius agnosci, non ut bonum sed malum, non ut beatum sed miserum. *Scito & video: quia malum & amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum, & non esse timorem mei apud te, dicit Dominus exercituum.*

Nec dicas te nullo delectari peccato; satis enim est ad delectationem peccati, si cupitis rebus ita delectaris. ut cupiditas vel delectatio sit peccatum: satis est ad peccatum superbiæ vel vanitatis, si honorem avidius cupis, si plus æquo laudibus delectaris. *Nunc autem Iac. 6. exultatis in superbis vestris, omnis exultatio talis maligna est, ait sanctus Jacobus. Hoc est itaque illud peccatum tuum, quo delectaris, & quo*

& quo Christus affligitur, hoc est, quod dicitur à te tollendū, nisi desinat delectari: neque verò unquam desinet, nisi miseriam potius, quæ in illo peccato latet concipias, & sic tui misereat. *Nescis, quia tu es miser & miserabilis: & idcirco collyrio inungo oculos tuos ut videas.*
En tibi aptum Collyrium: Væ cum benedixerint vobis homines. Væ vobis, quia diligitis primas cathedras. Nonne hoc est miserum sic maledici à Christo Domino? nonne ille est miser, quem miserum Christus dicit? & nonne is maledictus, quem Dominus maledictum denuntiat:

Apoc. 3.

Luc. 6.

Ib. 11.

III. PUNCTUM.

Frustra te igitur Christi miseres, nisi te tui prius misereas; quia nisi te tui misereat, peccatum tuum non tolles, neque hoc nisi sublato, Christum poteris consolari, sed magis affliges, & ut ait sanctus Bernardus, afflicto afflictionem addes. Hoc est enim unum, quo maximè affligitur, hoc est unum, quo vehementius dolet, & quod à te magis doleri vult, *Nolite, inquit, flere super me, sed super vos ipsas flere: ita scilicet ut quantum in vobis est, illud*

Luc. 23.

flendo tollatis, quod mihi & vobis flendi causas ministrat. Sic aptè Sapiens, *Miserere anima tua placens Deo, & contine;* quasi dicat, si vis placere Deo, si vis illum placare & solari, miserere animæ, agnosce miseriam tuam, & quantum potes depone, *Quid enim misero misero non miserante seipsum,* ait sanctus Augustinus. At verò sanctus Cyprianus miseriam, quæ in vano laudis appetitu latet, sic inter alios planissimè aperit: *Virtutum sudoribus laus importuna se ingerit, & subtilissimis aculeis penetrans animam, dum extollit, emollit, & pungit dum ungit: virtutem in hypocrisis vertit, & simpliciter inchoata pervertit, quasi tinea, quod integrum erat, rodit & occupat, & sanctitatis fundamenta evellit & dissipat. Mens hoc veneno imbuta in miseriis deliciatur, & occupata hac scabie, in ulceribus gloriatur. Religio fit superstitio, & succedit ei ambitio subornata: extincto spiritu, quatruiduano cadaveri solum supersunt exuvie, virtutis species exanimis, & simulachrum sanctitatis.*

Satinne hæc ad miseriam tuam declarandam, qui totus es in illis ulceribus, totus vivis in illa scabie?

PRO EADEM FERIA QVADRAGESIMALI,

Ad Evangelium de Scribis potentibus signum, &c. Matth. 12.

Magister, volumus à te signum videre,

VERITATES PRACTICÆ.

Nisi diligenter ad veritas, quod petis à Deo iustus, hoc est, quod petis iniustus.

In 3. parte, Sabbato hebdomada septima; ubi hac ipsa scribarum petitio declaratur opportunè suo loco.

AD hæc Christi verba: *Generatio mala & adultera signum quarit,* contra eos, qui non utuntur mediis ad salutem ordinatis, hæc proponi potest Veritas:

Si ordinatis ad salutem mediis non uteris, Mediatore Christo abuteris.

In hac 2. parte, Sabbato præcedentis hebdomada.

DE viris Ninivitis pœnitentibus ad præ-

dicacionem Jonæ: Quam sit necessaria & rara pœnitentia.

Licet omni peccatori sit necessariò pœnitendum, vix tamen ullus est, qui necessariam agar pœnitentiam.

In 1. parte, Dominica 4. Adventus.

De Reciduo, contra quod consequenter hic agitur, vide Dominica 3. Quadragesimæ.

Denique de Obedientia Charitatis, in qua est perfectio, & de qua possunt intelligi Verba Domini: *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in caelis est, ipse meus frater, & soror, & mater est.*

In 1. parte, Sabbato hebdomada 4. post Epiphaniam.

FERIA

FERIA QVINTA. DE DOLORE CHRISTI EX PERI- turis & damnandis hominibus, pro quibus fru- stra passurus erat & moriturus.

In vacuum laboravi, sine causa & vanè fortitudinem meam consumpsi. II. 49.

VERITAS PRACTICA.

Quantò teipsum negligis, quasi non esses cum cæteris periturus, tantò te Christus doluit præ cæteris perituris.

RATIO EST, quia quantò teipsum negligis, tantò indicas te minus respondere amorì & curis, quas singulares de te Christus habuit.

Sed hoc est, quod amanti tantò dolet, quantò videt amatum minus respondere suis curis.

Quantò igitur teipsum negligis, quasi non esses cum cæteris periturus, tantò te Christus doluit præ cæteris perituris.

I. PUNCTUM.

CUM Christus Dominus dederit Redemptionem semetipsum pro omnibus, ut disertè affirmat Apostolus; neque tamen omnes, imò pauci salventur, & multi suâ culpâ damnentur, ut patet ex Evangelio: dubitari non potest, quin inde Dominus singulari dolore doluerit, quod scilicet tale pretium, quale noverat suum esse sanguinem, offerret pro gratis, quæ jam perditæ aut perdendæ erant. Nullus enim ex damnatis adultus fuit, qui non habuerit gratiam, pro qua demerenda oportuit Christum pati & mori. At certè si vel pro salvandis sic pati & mori durum esset, quantò magis pro damnandis, quibus nihil prodesset passio, nec mors, nec sanguis. Nam, ut ait sanctus Thomas, *privatio finis semper est gravior, quàm ipsa mediolorum jactura, quæ impenduntur ad finem.*

Quid quod videbat damnatas aut perituras animas non modò nihil ex suâ passione fructus reportaturas, sed & propterea magis damnandas & cruciandas, quòd pro ipsis pas-

Haynesove Pars 2.

sus esset, & quod illis gratias promertisset & obtulisset, quas neglexissent: Certè hoc illi erat peracerbum. Sic lapis offensionis dictus est *1. Pet. 2. & Petra scandali: Sic positus in ruinam multorum & in signum cui contradiceretur; quia videlicet inde magis in Christum & Christianam religionem efferati fuerint, quod Christus cruci esset affixus; hoc erat ludæis scandalum & gentibus stultitia, unde & ipsi accipient damnationem maiorem, ut est in Evangelio.*

Adde his hæreticos & liberioris vitæ homines, qui se à Christo passo & mortuo sic jactitant esse salvatos, ut nihil sibi laborandum, ni hil sibi persuadeant esse patiendum! Quin ex ipsis etiam Christianis & religiosis, qui omnes carnem suam cum vitiis & concupiscentiis deberent crucifigere, quàm pauci tales, qui paupertatem, humilitatem, patientiã, cæterasque Christi virtutes sibi proponunt imitandas! quàm multi contra vel prorsus negligunt, vel impossibiles aut nimis difficiles, vel non sibi aptas causantur! Quæ cum omnia probè nosset, & velut præsentia cerneret Dominus, *In vacuum laboravi, aiebat gemens & dolens, sine causa & vanè fortitudinem meam consumpsi. Ergo judicium meum cum Domino, & opus meum cum Deo meo.*

Tu porò, qui hæc legis aut meditaris, an te ex his unum esse putas, quem Christus maxime doluit? Non putas forsan, quia non times te unum esse ex perituris, unde & teipsum negligis ac paulo liberio rem vitam agis, quàm si magis timeres. At verò hinc timere discè, Discè quod, *quanto te ipsum negligis, quasi non esses periturus, tantò te Christus doluit præ aliis perituris.* Sic enim apertè indicas te non respondere amorì & curis, quas de te Christus Dominus singulares habuit. Cum enim te videas tot præventum gratis & affectum beneficiis,

N

necicis, ut de salute tua longè potius sperandum tibi videatur quàm timendum, nonne habes, quod fatearis te singulari amatum affectu ab eo esse, qui te tot prævenit gratiis? At quorsum illæ gratiæ, quorsum ille amor singularis nisi ut edames amantem, & quantum vult à te diligi, tantum dilectionis impendas? Itane verò sic diligis quantum diligeris? apparet ex negligentia illa tua, quàm longè sis ab illa reciproca dilectione. Sicut enim qui

Ecclesi 7. diligit, & qui timet Deum nihil negligit, sic qui negligit, non diligit.

II. PUNCTUM.

SED hoc est, quod amanti tanto magis dolet, quanto videt amatum suo minus respondere amori suisque curis.

Dolor enim ex amore nascitur, ut supra visum est, & quantus est amor, tantus si dolor necesse est, si amori non latisit: Nunquam autem satisfactum sibi putat amor, nisi amore reciproco; neque verò verbis verus amor recipiatur, sed re & opere: Unde quando desunt illa opera, tunc amor in amato deesse creditur, & hinc tantus in amante dolor sentitur, quantus erat amor, quantòque minus illi ab amato responderetur. *Licet plus vos diligens minus diligitur*, aiebat Corinthiis Apostolus, quasi diceret, licet hoc mihi sit peracerbum & grave, sic minus à vobis diligi, quos plus diligo; non desinam tamen vos diligere, quamquam is dilectioni dolor semper miscbitur, quod ab iis minus diligitur, quos magis diligo.

2. Cor. 12.

Nonne tu hoc ipse sentis? nonne id experis si quem amas? quis animi dolor si à dilecto non diligeris? nonne id vehementius dolet, quàm à cæteris quos minus amas, non amari? Sic sentiebat, sic loquebatur Dominus: *Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique: Tu verò homo unanimes, qui simul mecum dulces capiebas cibos!*

2. Tel. 54.

III. PUNCTUM.

QUANTO igitur te ipsum negligis, quasi non esses cum cæteris peritura, tanto te Christus

doluit præ cæteris perituris; quia te magis diligens minus diligitur. Licet enim fortè magis diligatur, quàm à quibusdam perituris, qui vix eum norunt, minus se tamen reputat à te diligi, quod minus respondeas ejus amori, quàm illi responderint; Minus illi videlicet dilecti sunt, minus gratiæ & facultatis habuerunt ad eum redamandum, quàm tu habueris: minus denique se ab illis, quàm à te diligi voluit; unde jure conqueritur se magis de te dolere quàm de illis, quia ex majori amore major est dolor. *Doleo super te, frater mi Ionatha, decore nimis & amabilis super amorem mulierum. Sicut mater unicuique amat filium suum, ita ego te diligebam.* Sic amori dolor ex æquo loquitur & respondet.

2. Reg. 1.

Itane cogitaveras te unum ex gravissimis Christi tortoribus extitisse? te illum fuisse, quem maxime doluit, quando suas doluit perire gratias, quando sua doluit virtutum exempla tam parum iis proficere, quibus vel maxime voluisset? Iam verò cum id noris, pergesne illi esse gravis & molestus? pergesne in negligentia tui profectus & salutis? unde habes te non periturum? unde ista præsumptio, quæ tantæ est parens negligentia, ut à quotidianis tuis delictis non resurgas, non expavescas? *Nolite seduci*, ait Apostolus, *rumpunt mores bonos colloquia mala. Evigilate justi, & nolite peccare: Ignorantiam enim Dei quidam habent; ad reverentiam vobis loquor. Id est, pudendum certè Christiano sic vivere, quasi Deum ignoraret, vel quasi ignoraret Deo displicere peccata illa, quæ non satis caver, quod leviora sint, & à salute non excludant.* *Cave & da locum timori Altissimi.*

1. Cor. 15.

Ecclesi. 19.

Vide etiam in 1. parte, Feria 3, hebdomadæ quartæ.

Quod sicut non est habenda sollicitudo anxia de peccatis remissis, ita rationabilis non est deponenda.

Et in 2. parte, Dominica Septuagesima.

Quæ causa est, cur pauci salvi sint, hæc in te causa est, cur ex illis forte non sis.

PRO EADEM FERIA QVADRAGESIMALI.

ad Evangelium, de Canana. Matth. 15.

Tota

Tota refertur narratio & illi conformis Et qua de fide vel fiducia plures adungi possunt, facile est de aliis locis petere.

FERIA SEXTA DE CONFUSIONE CHRISTI, Propter iniquitatem omnium nostrum, quam Deus in eo posuit.

Vere langores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit, nos quasi oves erravimus, & posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum, II. 53.

VERITAS PRACTICA.

Qua in malo bona est Confusio, in bono mala est.

SENSVS & RATIO est, quod in malo seu peccato committendo Confusio seu Verecundia bona est, quia sic animus indicat se peccatum aversari.

Sed in bono agendo si talis adesset Confusio, qua illud bonum aversaretur & refugeret, tunc mala esset.

Ergo qua in malo bona est Confusio, in bono mala est, seu mala esse potest, nisi diligenter caveatur.

I. PUNCTUM.

Manifestè distinctus est iste dolor ab aliis. Ad eum autem intelligendum duo sunt praesupponenda. Primum est, Christum Dominum innocentissimum agnum sic à peccato fuisse alienum, non modo ut nullum unquam potuerit committere, sed ut nullum à quocunque commissum sustinere potuerit, quin maximè abhorreret. Alterum est, quod non obstante illo naturali peccatorum horrore, omnia tamen omnium hominum peccata sic in se transtulit, aut sibi à Deo imposta sustinuit, ut se velut omnium delictorum reum intueretur, itaque coram Deo appareret.

Hoc est videlicet, quod ait Propheta, *Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum*, seu ut habet alia versio, transire fecit in eum omnem iniquitatem. Hoc item est, quod scribit Apostolus, *Eum, qui non noverat peccatum, fecit peccatum pro nobis, id est, victimam, qua* cl-

set velut onerata omnium & uniuscujusque peccato, atque ejus poenas persolveret; sicut passer ille, de quo est in Levitico, qui dicitur peccata populi portare. In hunc etiam sensum sic aperte sanctus Petrus: *qui peccatum non fecit, peccata nostra ipse pertulit in corpore suo, super lignum*. Quod non melius explicari potest, quam si repraesentetur Sponsor seu Fidejussor, qui se pro alio constituit, licet ille nullum culpa aut pecuniae debitum contraxerit, tamen perinde solvit, atque si esset reus aut debitor; sic Christus Dominus se Vadem & Sponsorem nostrum constituit, sicque in se omnem prorsus iniquitatem transferens, debitas ei poenas persolvit. *Qua non rapui, tunc exolvebam. Non peccavi & poenas dabam*. Sic de Christo sanctus Augustinus.

Hinc autem nata Confusio, & verecundi sensus ille pudoris, quo anima Christi se coram Deo velut indutam & opertam peccatis omnibus vidit, viditque Deum simul illis offensum gravissimè, & valde iratum, cumque à se omnium poenas exigeret, sibi quodammodo cernebat iratum, cum irasci in Deo nihil aliud sit, quam poenas exigere aut inferre; sic autem poenas inferebat Filio Pater, quasi si peccator aut peccatum esset; *Propter scelus populi mei percussi eum. IN me transferunt iram tuam*. Quo certè in statu Christus non poterat non confundi & non dolere vehementissimè, sicut cum in columna nudus apparuit coram populo, aut in veste alba vel purpurea deridendus, quis dubitat tum ejus vultum pudore & confusione suffusum? Sic suo modo interiùs coram Deo, cui soli est notum, quam sit peccatum horrendum & abominabile. Propterea sic filius Patri; *Tu scis, in-*

Levit. 16.

2. Pet. 2.

Psal. 68.

Is. 53.

Pf. 67.

Pf. 88.

quit, *improperium meum & confusionem meam, & reverentiam meam*; quasi diceret, nemo scit alius, neque id explicari potest; potest tamen conjici ex Propheta loco, qui Christo adaptatur, *Ostendit mihi Dominus Iesum Sacerdotem magnum stantem coram Angelo Domini & Iesus erat indutus vestimentis sordidis*. Quænam sunt illa vestimenta sordida nisi peccata? & quid est, sic operiri Christum peccatis nostris, nisi sic confundi & erubescere, sicut nobilissimus & delicatissimus adolescens sordidas vestes abhorreret, & eis indutus confunderetur?

Hoc est scilicet esse Redemptorem, hoc est esse Iesum & Salvatorem, nihil quidquam omittere eorum, quæ ad salutem nostram pertineant, licet confusione & rubore plena. Si quid enim nos ab officio avocare solet, merus est maximè confusio & pudoris; sed bonum Iesum nihil tale avertit, quin omnia sustineret, ut nos doceret in malis quidem Verecundiam esse bonam & laudabilem, at in bonis malam & culpabilem. Age Christo gratias, & *Eccles. 11.* quod monet Sapiens, *Gratiam Fidei iussoris ne oblitiscaris, dedit enim pro te animam suam.*

Tum quid sit, quod verecundia sit laudabilis in malo, Vide & quam sit verum; Quia scilicet, quod verecundamur & erubescimus, indicamus nos nolle; nolle autem malum quis non videt esse laudabile? Præclare admodum sanctus Bernardus de hac verecundia, *Lampas* *Serm. 86.* *Cantica* est, inquit, *pudica mentis jugiter lucens, ut nihil in ea turpe vel indecorum residere attentet, quod non illa illic prodat. Ita expunitrix malorum & propugnatrix puritatis imata, specialis gloria conscientia, & fama custos, cura decus, virtutis sedes.*

Itane erubescis, & metuis in occurfu mali, & peccati periculo? In honore oblato, in laude audita, in aspectu scæminæ, & similibus hujus virtutis objectis? an potius frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisse erubescere? *Jerem. 3.*

II. PUNCTUM.

SED in bono agendo, si talis confusio adesset, ut *aversaretur propterea illud bonum, nec vellet facere, tunc mala esset & culpabilis.*

Quis enim hoc non videat? Nam præterquam quod bonum deseritur, sic bonum deserere pro tam levi causa, qualis est sensus ille verecundiæ vel confusio, certè id augerit culpam. Si tantum esset sensus vel primus mo-

tus absque illo affectu, quo deseritur bonum, tolerari posset; nec enim est in nostra potestate: aut si alia de causa bonum minimè impetratum omitteretur, id fieri posset sine culpa. Sed illa duo simul juncta reddunt hanc verecundiam valde culpabilem & reprehensibilem, nempe omittere bonum vel committere malum propterea solum, quòd confusio coram hominibus timeatur; Hic enim manifestus est respectus humanus, hoc est scandalizari de Christo, hoc est ipsum erubescere, hic est lapsus *Matt. 27.* *offensionis & hac perra scandali super quam qui ceciderit confringetur, super quem verò ceciderit conteret eum, ut ait Dominus.*

Pleni sunt sacri Codices, & antiquorum patrum Monumenta prævibus in vestibus contra hujusmodi pudorem noxium & pravam verecundiam. *Christus*, inquit Tertullianus, *confusio confusioem comminatur: Qui me In Confusio- confusus fuerit coram hominibus, & ego confundar eum coram patre meo qui in caelis est; sciebat enim à confusione vel maximè formari negationem, mentis statim in fronte consistere, priorem esse pudoris quam corporis plagam.* *Marc. 8.*

Sanctus Gregorius, *Quid rogo, isto faceret in doloræ pœnarum, qui Christum erubuit inter flagella verborum? Sanctus Augustinus. Ille non est Christi servus, sed subsannator & irrisor, qui eius se servum dicit, cui servire dissimulat. Idemque alibi, Quid facies quando dicit tibi, erubuisse de humilitate mea, non eris in claritate mea. Ac rursum, Discedat mala verecundia, accedat salubris impudentia, si impudentia dicenda est.* *25. Mar. 6.*

III. PUNCTUM.

ERGO qua in malo bona est confusio, in bono mala est. Quæ quidem Veritas tota est sancti Gregorii, qui eam fufius sic declarat, *Sicut verecundia laudabilis est in malo, ita reprehensibilis est in bono. Erubescere enim malum, sapientia est; bonum verò erubescere, fatuitatis; unde Scriptum est: Est confusio adducens peccatum, & est confusio adducens gloriam. Qui enim erubescit poenitendo mala, qua facit, ad vitam libertatem pervenit; qui verò erubescit bona facere, à statu rectitudinis cadit, atque ad damnationem tendit, sicut per Redemptorem dicitur: qui me erubuerit & meos sermones, hunc filius hominis erubescet.* *Ecclesi. 4.*

Nota verbum *fatuitatis*, quo sanctus Pater *Luc. 9.* *utitur, nempe fatuitas aperta est, timere confusioem*

fusionem humanam, nec timere divinam, seu
eam quæ à Deo verè timenda est. Nam si ex
illa confusione humana, non vereris offende-
re Deum, confundet te Deus, confusione lon-
gè graviori; Et nonne hoc est esse fatuum, e-
vitare minus malum, ut incidas in gravius?
Cadent & infirmi erunt, ait Propheta, *quia non
intellegerunt opprobrium sempiternum.* Atque
idem rursus: *Dabo eos in opprobrium sempiter-
num, & in ignominiam aeternam, qua nunquam
oblivione delabitur.*

Et tamen quàm multi sunt sic fatui, &
quod pejus est, qui nunquam melius sibi sa-

pere videntur, quàm cum sic fatui sunt. Cave
offendas ad hunc lapidem. *Serva libertatem
ubique & semper, Noli erubescere testimonium
2. Tim. 1. Domini nostri. Non confunderis confiteri peccata
Eccles. 4. tua.* De qua Confusione imprimis cavenda
sic aptè sanctus Bernardus. *O verecundia ex-
pers rationis, inimica salutis, totius ignavia hono-
ris & honestatis; hæc planè illa, quam Sapiens lo-
quitur confusio adducens peccatum. Itane vere-
cundum est homini vinci à Deo, & probro duci-
tur humiliari sub potiori manu altissimi? O per-
versitas! Non pudet inquinari, & ablui pudet!*

PRO EADEM FERIA QVADRAGESIMALI.

Ad Evangelium, de Sanato Paralytico in Piscina. Ioan. 5.

VERITATES PRACTICÆ.

*Vis sanus fieri? Quod videris tibi velle, velles
quidem, sed verè non vis.*

*In 3. parte, Feria 2. hebdomada duodecima.
Vbi tota hæc abundè refertur historia.*

DOMINE, hominem non habeo. De Necessi-
tate Directoris & usu directionis, In 1. parte,
tota hebdomada tertia post Epiphaniam, &
præcipue 1. & 2. Feria.

*SVRGE, tolle grabatum tuum, & ambula. Et
statim sanus factus homo ille, & sustulit graba-
tum suum, & ambulabat. Quam sint hæc apta*

ad exprimentum perfectionis progressum, in
eadem 1. parte habetur, ubi à Christo alius si-
mili modo sanatur paralyticus: tota quarta
hebdomada post Epiphaniam.

*IESVS autem declinavit à turba constituta
in loco: postea invenit eum Iesus in templo. Cur
sic à turba declinaverit, curve paulò post se
spectandum in templo dederit, fusè declara-
tur supra dicto loco tertiæ partis, unde est
hæc Veritas valde practica:*

Hæc est maximè laudabilis Humilitas, quæ
sic laudes fugit, ut laudanda non omitat.

S A B B A T O.

DE DOLORE CONTRITIONIS

Quem Christus Dominus valde sensibilem habuit.

Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. H. 53.

VERITAS PRACTICÆ.

*Vera Contritio dolorem sensibilem nec in-
cludit nec excludit.*

RATIO EST. quia vera contritio in una est de-

*testatione peccati propter Deum offensum.
Sed illi detestationi neque necessarius est neque
contrarius dolor sensibilis.
Ergo vera contritio dolorem hunc sensibilem nec
includit nec excludit; unde nec nimis anxie est
quarendus si desit; nec si adsit, est repellendus.*

I. PUNCTUM.

CONFUSIONI cæterisque doloribus animæ & corporis quos sustinere voluit Christus, accessit Contritio de peccatis hominum, qui dolorum omnium cumulus & aliquod veluti complementum fuit. Sic enim plenius & copiosius satisfaciebat pro peccatis nostris, cum de his etiam doleret animo, non quidem ut nos qui de propriis dolemus, cum proposito emendationis, sed quo ille modo poterat, quem postea multi sunt imitati sancti, dolentes de peccatis hominum tantâ doloris vehementiâ, ut pene distrumperentur.

Verum in Christo Domino multa erant, quæ longè supra quoslibet homines sive de propriis sive de alienis peccatis pœnitentes dolorem illum exaggerabant. Primum, clara cognitio gravitatis peccati; Noverat enim, quid esset Deus, quid Deus offensus, quid offensus ab homine, à tot hominibus, tanto tempore, tot offensus. Deinde ut erat ardentissimus Divini honoris læsi, & reparandi zelator, nihil omittebat eorum, quæ sciret ad id conferre; cumque in appetitum naturalem id omne posset, quod veller, quis dubitet Christum non sibi pepercisse, & seipsum excitasse ad dolorem illum sensibilem, quantum posset, concipiendum? Quod si verò potentiam suam exercuit, ut quidquid posset, id veller; quò tandem doloris pervenisse dicenda illa erit Contritio, ad quam excitandam tria illa Christi Domini tam infinita quàm Divina, simul corruerant. *Scientia, Potestas, & Voluntas?* Si quid enim in nostris deest, id ex altero eorum trium provenit, vel quia nescimus quid sit peccatum, vel quia non possumus appetitum inferiorem sensibilibiter excitare, aut quia non sicut velle oporteret, volumus. In Christo autem nihil horum deerat, ut dictum est, sicq; vehementissimus ex omni parte dolor fuit, & aliorum animi tû corporis dolorum quidam velut excitator & promotor, cum ex dolore interno, satisfactio exterior eò sequatur major, quo major est dolor. *Magna est velut mare Contritio tua; Cæterorum quidem sanctorum ut fluvij vel rivuli; sed Christi velut ipsum mare, Ossa mea, inquit per Psalmistam, sicut cremum aruerunt, sicut in fixorio cõfixa sũt, ita legit S. Aug. in Psal.*

Tren. 2.

Ps. 101.

O si sciremus quid sit peccatum! quid sit Deus offensus! dic potius anima mea dic potius, o si saltem quantum scio, aut quantum scire possum, quid sit peccatum, & quàm velit Deus à me doleri & expiari, ita dolerem & divinam detestarer offensam.

Et verò cum dupliciter hic errare possis; Primò quidem si dolorem sensibilem & lachrymas nimis violenter extorqueas; deinde si fortè sensibilibiter movearis, sensum illum & motum pietatis repellas; audienda Veritas, quâ statuitur in vera Contritione dolorem illum sensibilem *nec includi, nec excludi.*

Ratio petitur à vera Contritionis definitione, quæ à Concilio Tridentino dicitur esse *animi dolor ac detestatio cum proposito non peccandi de cætero.* Quibus in verbis tres differentię temporis comprehenduntur; præteriti quidem dum veteris vitæ odium requiritur; præsentis verò, dum cessandum esse à peccato declaratur; futuri denique, dum vitæ novæ propositum & inchoatio præcipitur iuxta illud Ezechielis; *Projicite à vobis omnes iniquitates vestras, in quibus prævaricati estis, & facite vobis cor novum, & spiritum novum.* Hoc in me, Domine, cor mundum crea, & spiritum rectum innova in visceribus meis. *Ses. 14. c. 4. Ez. 18. Ps. 50.*

II. PUNCTUM.

SED illi peccatorum detestationi nec necessarius est, nec contrarius sensibilis dolor.

Primò quidem, quòd non sit necessarius, ex eo patet, quòd non sit in nostra potestate, cum multihunc dolorem vehementer disiderent, & à Deo perant, nec tamen obtineant. Nihil autem à nobis necessariò requiritur, quod non possimus cum gratia, & ad quod exequendum gratia denegetur. Sic enim universim de omnibus, quod de uno affirmatur, *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, nec supra te est, neque procul positum: sed iuxta te est sermo valde, in ore tuo, & in corde tuo ut facias illum.* *Deut. 30.*

Quòd verò etiam non sit contrarius, ex approbatis sanctorum lachrymis liquet, qui cù Davide dicunt, *laboravi in gemitu meo: lavabo per singulas noctes lectum meum.* Itemque cù Ezechia, *Recogitabo tibi omnes annos meos in a-maritudine anima mea.* *Is. 38.*

Auderesne tu repellere, quod tam sancti viri susceperunt?

III. PUN-

III. PUNCTUM.

VERA ergo Contritio dolorem illum sensibilem nec includit nec excludit; Cum vera Contritio in vera peccatorum detestatione consistat, quæ sic formari potest sine dolore sensibili, ut eum eo etiam formari possit. *Sicut fuit sensus vester, ut erraretis à Deo, decies tantum iterum convertere requiretis eum.* Hoc est verè conteri & pœnitere; tum verò bene sperandum, quod dicitur *Dominus bonus propitiabitur cunctis, qui in toto corde requirunt Dominum Deum patrum suorum, & non imputabit eis, quod minus sanctificati sunt.*

Expende illud in toto corde, sic enim totum in hoc toto corde reponitur, ut si quidem adfit, nihil ad veram desit pœnitentiam; si quid verò desit de toto, tunc absit totum, quod requiritur, nec nisi forte in mendacio reverti dicitur, qui non in toto corde revertitur. Hoc certè indicat ipsum nomē Contritionis, quæ quasi quædam est totius cordis in minutissimas partes scissio, sicque Scriptura sæpius, *Scindite corda vestra.* Unde & dicitur *Sacrificium, ac ipsum holocaustum, quod est præstantius, & quod Deo totum immolatur. In animo contrito & spiritu humilitatis suscipiamur: sicut in holocausto arietum & taurorum, & sicut in millibus agnorum pinguium, sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo.* Sic in fornace Babylonica tres illi Viri, qui se interno incendebant igne, suaque Deo mactabant

corda, dum in externis flammis sua videbant spirare corpora. Sic aptè S. Augustinus in Psalmum quinquagesimum: *In te habes quod Pf. 50. offeras: habes in te quod occidas: Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non spernit.*

Egægium porro sermonem habet sanctus Bernardus de cordis Contritione, qui totam *Serm. 16.* eius formam ad hæc præcipua refert; *Deum in Cant. cogita factorem tuum, cogita & benefactorem, cogita patrem; cogita Dominum. Ad omnia venis es, plange per singula. Quanam fronte attollo iam oculos ad vultum patris tam boni, tam malus filius? Confundor, confundor audire: si ego pater, ubi est honor meus? sed etsi pater non esset, obrueret me beneficium.*

Et quæ plura pergit, quæ tantò erunt validiora, quantò erunt magis unita Cordi Contrito Christi Jesu, qui hoc ipsum, quod doles peccatum ita doluit ut dolere nunquam desinat, quia doloris eius meritum nunquam exhauritur, sicque modò tam potest esse efficax, quàm dum ipso doleret actu, si quod tum est modo facias, & quoties dolendum erit, sic cum ipso perfectè doleas.

Quàm autem id frequenter sit exercendum, habes inferius in hebdomada Passionis, Feria quarta, ubi hæc ponitur Veritas.

Crux interdum à corpore, sed nunquam ab animo deponenda.

Evangelium Feriæ, prorsus idem ac sequentis Dominiçæ.

DOMI-